

*Lib. No 15557.*

DE  
**ASTHMAE THYMICO.**

DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICA,

QUAM  
CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDI-  
CORUM ORDINE

IN  
UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA  
DORPATENSI,

UT GRADUM  
**DOCTORIS MEDICINAE**

RITE ADIPISCATUR,  
CONSCRIPSIT ET PUBLICE DEFENDET

AUCTOR,  
**Carl Ferdinand Gürgens,**  
*CURONUS.*



---

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS J. C. SCHUENMANNI,  
TYPOGRAPHI ACADEMICI.  
MDCCCXXXIV.

**IMPRIMATUR**

ea conditione, ut, quam primum typis excusa fuerit  
haec dissertatio, eius quinque exempla collegio libris  
explorandis constituto tradantur.

Dorpati Livon. die xix. mens. Februarii MDCCCXXXIV.

**DR. HENR. RATHKE,**  
*Ord. Med. h. t. Decanus.*

D 16754

**VIRO**

**DOCTISSIMO, FAUTORI BENEVOLO**

**AUGUSTO HUETTEL,**

*DOCTORI PHILOSOPHIAE*

**HAS STUDIORUM PRIMITIAS OB IN-  
NUMERA ERGA SE COLLATA  
BENEFICIA**

**GRATO PIOQUE ANIMO**

**DEDICAT**

*AUCTOR.*

## Sectio Anatomica.

**G**landula Thymus, forma oblonga simulque plana, ad parallelogrammum, cujus unusquisque angulus in cornu desinit, prope accedit, atque in cavo mediastino antico latet, quod totum occupat, quin etiam superiora ejusdem cornua thyreoideam attingunt. Pars thymi antica ossi sterni atque musculo sternothyreoideo sternohyoideoque opposita est. Pars vero postica arcum aortae cum praecipuis suis ramis, arteriam pulmonalem, venam cavam superiorem, venamque jugularem sinistram, nonnunquam etiam dextram obtegit. Cornua superiora carotidibus tracheaeque imposita sunt. Thymus rubet; ob humorem vero, quem continet, chylo simillimum subalbidus ille apparet. Hicce humor autem si exiguus adest, thymus subrubet. Glandulam thymum in foetu maturo infantibusque vel maximam esse atque in adultis saepe omnino evanescere constat. Thymus, ut recentissimae, quae institutae sunt, docent quaestiones, duplici obditur velamento. Velamentum externum totam vestit massam, atque tela cellulosa cum partibus vicinis conjungitur. Superficies hujus interna laevis alterum tangit velamentum internum, quod admodum tenue pellucidum singulos Thymi lobos arctissime nectit. Tunica externa detracta, sub tunica interna pellucida duas laterales reperies partes e pluribus lobulis, qui rursus e parvis granosis corpusculis constant, compositas.

Majorum loborum intervalla tela cellulosa, in qua vasa eorundem sanguifera decurrunt, effertur. Similiter singuli lobuli tela cellulosa ab interna superficie tunicae internae ortum trahente includuntur. Glandula thymo persecta ope microscopii secundum Haugstedium \*) in mediis lobulis reperies cava cellulasve ductibus cum omnibus loborum cellulis quotquot sunt, cohaerentes, et quidem ita, ut unam duntaxat cellulam inflando totus dilateretur lobus. Majus quoddam cavum, quod plures Physiologi reperiunt voluerunt, aliae, quae institutae sunt, quaestiones esse negant.

Glandulae thymi cellae in foetu infantibusque humorem, qui ex superficie discissae non solum in centro, sed undique emanat, continent. E chemica, quam instituit Morinus \*\*), analysi elucet humorem thymi maximam partem ex aqua constare, atque praeter haec albumine, fibra animali, natro et calcario-phosphorico, gelatina osmazomeque maxime componi.

*Vasa thymi sanguifera.*

Arteriae thymicae, quarum numerus haud exiguus est, admodum parvae sunt, truncique in adultis minores, quam in infantibus, neque arteriarum origo certa; nam partim e mammaria interna vel ramis ejusdem, partim ex pericardiacis, phrenicis, mediastinicis, oesophageis ortum ducunt, vel ex subclavia, ex arcu aortae vel sinu ejusdem.

\*) *Thymi in homine ac per seriem animalium descriptio anatomico-physiologica, auctore F. C. Haugsted, Haaviae, MDCCCXXXI.*

\*\*) *Morin, in: Journal de chimie medicale, III. p. 450.*

Venae thymicae secundum Heysonium \*) Haugstediumque pauciores sunt quam arteriae, atque rectius tendentes, partim in venam jugularem internam, partim in subclaviam mammariamque internam vel in thyreoidaeam venamque cavam superiorem sanguinem effundunt.

Vasis lymphaticis, quae arterias comitantur, thymum quoque abundare affirmat Hallerus. Quae quidem vasa secundum Mascagnium \*\*) etiam per glandulas lymphaticas in cavo mediastino positae, penetrant, unde partem ductus thoracici superiorem petunt.

Glandulae thymi nervi sunt parvi atque secundum Whartonium \*\*\*) e nervo vago, e sympathico, ut aliis videtur, proficiscuntur. Ductum quendam excretorium a Bellingero \*\*\*\*) Muratio aliisque visum adesse jam uegarunt Hallerus Meckeliusque; Haugstedius etiam, re diligentius explorata, eum haud existere contendit. Quod vero alii naturae scrutatores videbant, nihil nisi venae vel vasa lymphatica erant. *De modo, quo glandula thymus evolvitur.*

Prima glandulae thymi in homine vestigia nona vel decima hebdomade agnoscuntur, atque arteriis, quae ex partibus vicinis proficiscuntur, originem illius debere contendit Burdachius †).

\*) *Hewson experimental inquiries T. III. by Falconar, pag. 73*

\*\*) *P. Mascagni vasorum lymphaticorum corporis humani historia e ichnographia. Senis 1787 pag. 56.*

\*\*\*) *Adenographia, pag. 106.*

\*\*\*\*) *Fr. Bellinger tractatus de foetu nutrito London 1717 pag. 69.*

†) *K. F. Burdach: die Physiologie als Erfahrungswissenschaft, Leipzig 1828. 8vo. 2. Th. pag. 600.*

Nona hebdomade juxta os sterni apparebant duo disjuncta corpuscula, quae decima hebdomade dilucidius agnoscebantur. In foetu trium mensium etiam exigua reperitur thymus, basi cordis innixa telaque cellulosa flava inclusa. Mense quarto jam major e basi cordis surgens clavicularum attingit ac duo laterales lobi distincte discernuntur. Quartum post mensem hae partes laterales arte inter se connectuntur. Mense quinto eandem ita sese habere dicit Wrisbergius \*): glandula thymus e magnis conflatur lobis atque lobo quodam adjuncto eoque parvo. Lobus superior venam subclaviam sinistram leviter tangit, inferior vero cum parte pericardii superiore arte cohaeret. Lobus, qui juxta positus est, ab arteria subclavia dextra duas tantum lineas distat. Mense vero septimo humorem quandam peculiarem continet. Quo longius aetate processit infans, eo major thymus. Memorabile est in macilentis thymum admodum parvum esse, neque drachmae unius pondus habere; in pinguis autem dimidiae unciae esse humoribusque turgere. Plurimorum infantum thymus duarum triumve drachmarum pondus fere aequat. E re diligentius explorata elucet, thymum prima vitae aetate nequaquam decrescere, verum enimvero anno demum primo vel secundo peracto. Mutatio, quam inde subit thymus, duplex atque ad dua stadia revocanda esse videtur. Inde ab anno secundo, i. e. a prima dentitione usque ad octavum vel decimum annum, cum cibos facile concoquere potest infans cumque primi dentes permanentes prorumpunt, thymus neque au-

\*) Wrisberg: *descriptio anat. embryonis. Göttingae 1761. 4to. obs. II. pag. 45.*

geri neque diminui videtur. Cellae ejusdem sensim contrahuntur atque humor, quem continue decrescit. Inde a permutatione dentium diminuitur thymus, et, dum vasa contrahuntur cellaeque evanescent, firmior fit succumque amittit: — Usque ad annum duodecimum massa ipsius paulo magis tenuis est, usque ad annum decimum quartum autem mire imminutum reperies. Neque granosa ejus structura, nec lobi, quibus fuit instructa, amplius agnoscuntur. Inferior thymi pars, quae prior pallet succumque amittit, consumi solet.

### Sectio Physiologica.

Cum functiones thymi glandulae investigamus, physiologos de hac re inter sese dissentire videmus.

Pallas \*) in thymum organum assimilationis asserendum nititur; quam sententiam et Meckelius \*\*) affirmat, quoniam glirium organum assimilationis quam maxime exculta habentium, eum thymus magis excultus invenitur.

In considerationem porro vocemus:

I. nutritionem per tractum intestinorum in foetu quam minimam, quin adeo vel nullam esse et lymphaticas glandulas abdominis etiam parum muneribus suis fungi, atque idcirco ductu thoracico sanguini nullum succum alimentum immitti posse;

II. organum, quod vices organorum assimi-

\*) *Novae species quadrupedum e glirium ordine, pag. 118.*

\*\*) *Abhandlung aus der menschlichen und vergleichenden Anatomie und Physiologie, Halle 1806, pag. 253.*

lationis agat magno opere desiderari, quare tali absente sanguis ad nutriendam inferiorem corporis partem necessario minime sufficeret (vide Rust's Magazin Bd. XXII über den Nutzen der Thymus von Nicolai);

III. in cavo pectoris praesto esse organon, (thymus) quod plasticum succo ductus thoracici valde similem humorem haud exigua copia secernat, eumque per magna vasa lymphatica et venas in superiorem ductus thoracici partem atque in venam cavam superiorem immittat.

IV. tale organon locum habere oportere in superiore corporis parte, ut sanguis superioris venae cavae ad nutriendum magis commodus evadat.

Quando id, inquam, perpendimus, non possumus, quin pro certo putemus, thymum necessario id esse organum debere, quod in foetu locum organorum assimilationis expleat.

Fere eadem de thymi glandula sentire videntur Asuley Cooper et Hangstedius, quorum quidem opera ipsa adeundi nulla mihi fuit facultas, quare ex recensione tantum elicere potui, eos illam sententiam amplecti, thymum glandulam quam arctissime conjunctam esse processui chylicationis et assimilationis.

Verum nihilominus nobis arrident etiam facta et argumenta, quae Meckelius in gratiam propriae opinionis advocat: thymum scilicet cum respiratione in proximo connexu esse et magis minusve illam supplere functionem \*). Meckelius in sententia sua tantopere perseverat, ut contendat, thymum, contituo prohibita respiratione,

\*) *Meckels Abhandlungen aus der menschlichen und vergleichenden Anatomie. Halle 1806.*

sese regenerare posse. Neque superiori opinioni reluctatur, si cum Meckelio opinamur, thymi glandulam in illa ratione cum respiratione versari, ut vice respirationis in foetu fungi possit.

Equidem in eam sententiam inclino, functionem thymi ad assimilationem ita ut ad respirationem tibi modo se habere, ut in foetu utrasque has partes omnino agat, in tenera vero pueritia saltem aliqua ex parte hoc officium subbeat, praesertim his functionibus gravissimi momenti prohibitis.

### Sectio Pathologica.

Asthma thymicum vocatur malum, quod cum thymo aucto quam intime conjunctum organa respiratoria infantum infestat, certis symptomatibus, certo decursu, certis causis levioribus semper concurrentibus et certis denique, quas nobis secta suppeditant cadavera, notis insigne. Quas quidem notas, cum hocce malum tanquam peculiarem quandam morbi speciem describeret, cell. Koppius in primis ponderasse videtur. Quamquam non infitias eas, huncce morbum etiam medicos anglicos cognovisse, credo tamen me jure quodam contendere posse, hosce medicos neque occasionem sat amplam habuisse formam hujus mali primariam observandi, nec cadavera secta sat inspexisse. His rebus, credo, imputandum est, cur in malo describendo atque in sententia, quam de natura morbi habuerint, admodum leves fuerint. Neque ulla inde illi, qui medicinam exercent, redundat utilitas, sive morbi generatim tantummodo atque universe describantur, sive omnes spasticae affectiones prima vitae aetate e malis, quae dentes excitant, deriventur; id quod Clarkio Northioque vitio ver-

titur, qui hunc morbum velut speciem quandam spasmodum, quibus afficiuntur infantes, vel convulsionum considerant vocantque. Neque autem tale quid cell. Koppio opprobrium est, qui, cum asthma thymicum egregie describeret, litteris medicis optime consuluisse videtur. Ratio, qua comprehendit morbum quaque rem tractavit, omnium medicorum animum hanc ad rem adtendit ejusque cognoscendi cupiditatem movit. Quare, qui primus nobis viam ad hanc rem arte tractandam munivit, omnibus laudibus accumulari debet. Morbus, ut Koppius ad fidem naturae, Caspario aliisque medicis testibus, eum descripsit, ita apparet \*): Prima vitae aetate, vel a partu vel serius tertio quartove mense, subita quadam animae interclusionione, quam tenuis clamansque vocis sonus praecedit, incipit morbus. Animae illa interclusio cum tenui clamantique vocis sono ad vagitum, quem edunt infantes, (qui, expiratione protracta, fere exanimari videntur), prope accedit. Scire autem licet, infantes tam diu dolore tangi, quam diu anima turbatur, id quod etiam habitus corporis significat. Pulsus, dum tentantur, inordinati remittentesque micant, oculi rigent, manus frigent pedesque, vultus inflatus livet. Tali impetu, cujus mora erat varia, semel die tentantur infantes. Vehementes atque recidivos morbi impetus adduxerant somnus praegressus, abdomi-

\*) *Asthmatis thymici descriptio quam Koppius fecit adest in „Denkwürdigkeiten in der ärztlichen Praxis“ Bd. I. Observationes de asthma thymico etiam Dr. Velsen, Dr. Rullmann, Dr. Tritschler et Dr. Ulrich, fecerunt atque Koppio, qui easdem operi suo mandavit, communicarunt.*

nis mala, diarrhoeae tussisque catarrhalis. Post impetum clamabant infantes, quasi eos quid terruisset doloreque affecisset. In remissionibus linguam etiam ex ore prominere observatum est. In decursu morbi crebriores urgebant impetus, atque ubi coryza, febris alvusque suppressa praecesserant, spiritu intercluso subito extinguiebantur. Tertius, quem observavit Koppius, casus eo insignitur, quod, morbo ingravescente, spasmo tentabantur pedes manusque, cujus pollex contrahebatur. Linguam etiam ex ore prominere serius observatum est. Neque ulla crebrior, sed contra rarior animae interclusio tussim secuta est, nec abdomini hoc in casu pepercit malum.

Casus a Rullmanno observatos a casibus, quos Koppius observavit, haud multum differre videmus. Subjungit tantum peculiarem illum vocis sonum post impetus apparere, atque insultus nocturnos prodromos antecedere. Statim enim antequam expergiscebantur paroxysmoque tentabantur, inquieti erant infantes, sese extendebant, anxia dicebant suspiria simulque statim rubore quodam facies suffundebatur.

Cell. Koppium asthma thymicum ad fidem naturae descripsisse putat Casparius, qui ipse duas formas, spasticam atque catarrhalem, duoque stadia constituit. Primo stadio spasmo bronchia dumtaxat tentantur; altero vero stadio in malum quoque trahuntur medulla cerebrumque. Si primo stadio ingruerint spasmi, in remissionibus infantes bene se habere reperies. Primum suffocationis accessum antecedunt inquietus, clamor, terror, et quae sunt similia, nervorum turbarum testes. Si vero primum stadium catarrho incipit, antecedit tussis catarrha-

lis specie levis, quae infantes, praesertim dum obdormiscunt, cruciare solet. VIII — XIV diebus praeterlapsis levi animae interclusione, quam quaedam cum alto vocis sono conjuncta sequitur inspiratio, dum dormiunt, tentari videntur. Deinde in expirando sonum cantui gallorum simillimum edunt, et in temporis intervallo veluti ii, qui angina membranacea afficiuntur, tussiant. Primum stadium VI — VIII moratur hebdomades. In altero stadio, cum lingua riget, brachia porriguntur pollicesque contrahuntur, nulla inter hasce duas formas differentia amplius intercedere videtur. Ad insultus in asphyxiam facile abituros etiam spasmos, qui e medulla exeant, per totum corpus diffusos, atque febrem atypicam cum magno faciei rubore caloreque, cum pulsibus celebribus sudoreque copioso accedere dicitur.

Duos morbi gradus distingvit Pagenstecherus. Scire autem licet, inquit, infantes hocce morbo vel levissimo affectos, cum dentium, morosos esse facileque irritari atque nonnunquam, cum quia eos turbarit, saepius expergiscentes anxiam ducere suspiria, quasi faucibus paene constrictis respirare vellent; qua quidem re facies rubet et suffocationis periculum adest. Post II — VI tales spiritus vehementes quaedam claraque subsequitur expiratio, qua, lacrymis obortis perpetuis, spasmus tandem solvitur. Quum vero summum adtigerit gradum morbus quumque semel vel aliquoties alta voce respiraverint, infantes anima plane deficit, pectus firmum est atque immobile, corpus totum spasmo fere retrorsum distorquetur rigetque, pollices, ut in epilepticis fieri solet, contrahuntur, in vultu attonito gravissimus eminet dolor, os na-

resque patent, bulbi oculorum foras protrusi splendore destituuntur, rarius lumina clauduntur, color faciei e purpureo livescit et sensim pallet, donec post punctam temporis tenuis quidam vocis sonus clamorem, quem angina membranacea affecti edunt, referens reditum vitae indicat. Tunc valde fatigatus est infans neque ullas fundit lacrymas, sudor per frontem frigidus manat, cutis cereae simillima pallet, oris oculorumque ambitus livet, vultus acerbissimum latetur dolorem, atque haec fatigatio per totum corpus diffusa saepius somnum affert brevem. Ceterum, dum insultu tentantur, spiritu intercluso extingui possunt.

Ratione, qua asthma thymicum a Koppio, Caspario Pagenstecheroque descriptum saepissimeque observatum composui, spero fore ut l. b. meliorem hujus morbi imaginem animo concipias.

Commentarios quosdam breves de asthma thymico, si ab his, quas modo memoravi, descriptionibus discesseris, etiam sequentes reperies.

Dr. Herrmann Vezin in Osnabrück in fastis medicis, medicinischen Conversationsblatt, herausgegeben von den DDr. Hohenbaum und Jahn, inscriptis Januar bis Juli 1831. S. 148 — 15.

Dr. Wunderlich in: medicinisches Correspondenzblatt der Württembergischen ärztlichen Vereins, herausgegeben von Blumhardt, Duvernay, Biecke et Seeger 1 Jahrgang Stuttgart 1832.

Dr. A. Th. Brück osnabrugensis in: medicinisches Conservationsblatt herausgegeben von Hohenbaum und Jahn, Juni bis Ende Juli 1832.

Dr. Schneider in Fulda in opere quod dicitur medicinische Unterhaltungen Nor. XLVII.

Tres infantes unius domus hocce morbo deinceps correptos videbat.

Morbos quosdam, qui partim quoad formam ad Asthma thymicum accedere, partim eandem habere naturam quam asthma thymicum videntur, veteres medici recentioresque descriperunt, neque nomine asthmatis thymici notarunt. Afectionem spasticam, quam descripsit Clarkius, peculiarem quandam spasmi, quo afficiuntur infantes, speciem nominat. Quatenus vero id, quod Pagenstecherus judicat, huncce morbum, spasticum nil nisi asthma thymicum esse, verum sit, neque affirmare nec negare audeo, atque ut incertum, quum opus, quod supra memoravi, non in manus inciderit meas, in medio relinquam. Primo ad aspectu convulsiones, quibus tentantur infantes, quasque descripsit Northius, ab asthmate thymico plane differe quis putarit; cum quibus tamen si casus, quos observarunt Koppius, Casparius Pagenstecherusque, diligentius comparaveris, apparebit eosdem cum asthmate thymico congruere; licet, ut mihi videtur, non infitias eas hancce morbi formam, velut peculiarem quandam asthmatis thymici speciem, quam forsam anomaliam convulsivam nominares, esse habendam.

Dr. Marshii descriptio invenitur in „neuen Sammlung auserlesener Abhandlungen. Bd. XV, Ste. 3 quae inscribitur: Beobachtungen über eine eigenthümliche krämpfhafte Krankheit kleiner Kinder, welche Stimmritzenkrampf genannt werden kann.

Morbum, quem cell. Marshius descripsit, ob aetatem, qua eodem cortipiuntur infantes, ob similitudinem decursus symptomatumque eandem habere naturam, quam asthma thymicum, puto. Sententiae meae, credo, plus addatur fidei necesse est, quum enuntiem peculiarem illam spas-

mi, infantum speciem a Clarkioque descriptam unam eandemque ac asthma thymicum judicare Pagenstecherum, Marshii vero laryngis spasmus cum morbo a Clarkio descripto congruere, atque ita morbum a Marshio descriptum nil nisi asthma thymicum esse, quum duae magnitudines, si tertiam aequent, inter se etiam congruant necesse sit. Simplicem spasmi formam discernit Marshius atque plures diversas formas complicatas:

- ex dentitione dolente,
- digestionem turbata,
- statu quodam cachectico,
- febre,
- exudatione in eavis cerebri.

Si igitur omnes ac singulos, quos observarunt medici, casus comparaveris, probabilis haecce tibi forsitan videbitur divisio; quae divisio, inquam, ad curam morbi arte instituendam multum utilitatis afferet. Quum species hujus morbi primaria spasmo, quo omnibus in casibus primum tentantur infantes, contineatur; simplicissimam hujus mali speciem, organorum respiratorum spasmus primum consideremus necesse est. Statuimus igitur:

- α) Asthma thymicum simplex a Koppio Pagenstecheroque descriptum. — Species Casparii spastica etiam huc adnumeratur.
- β) Asthma thymicum cum catarrho conjunctum et a Caspario observatum.
- γ) Asthma thymicum cum convulsionibus, quarum testes sunt casus a Northio observati.
- δ) Asthma thymicum cum turbis gastricis a Marshio aliisque observatum.

e) Asthma thymicum cum identione a Pagenstechero Norrbio Marshioque descriptum.

f) Asthma thymicum cum cachexia. (et quidem cum atrophia conjuncta).

g) Asthma thymicum cum febre.

h) Asthma thymicum cum hydrocephalo.

Quod vero ad distributionem singularum morbi specierum pertinet, duo stadia, quae omnibus in casibus observatis sub oculos cadunt probabiliaque videntur, constituit Casparius, si ab iis, in quibus infantes jam primo morbi stadio aut incommoda emergebant valetudine, aut spiritu intercluso extinguebantur, discesseris. Neque infansandum est infantes primo stadio diarrhoea vires exhanriente corripì posse aut atrophia, atque sic vim vitalem consumi.

*Extispicia.*

In cadaveribus infantum asthmate thymico enecatorum a Koppio, Pagenstechero ac Caspario sectis glandula thymus aucta apparebat. Neque ullam inter thymum, quem semel reperiebat, asthmasque intercedere societatem suspicatus est Casparius. In cadavere secto aut neglectus aut nullus fuit; nec Pagenstecherus thymum, quem tantum semel videbat, in cadavere altero, quod attente inspexit, auctum invenit.

Laryngem, si a casu, quo glottidis ligamenta epiglottidisque flaccida atque ad naturam fungi magis quam ad ligamenta accedere inventa sunt, discesseris, omnis vitii semper fuisse expertem constat.

Pulmones saepe sanguine abundabant, atque tribus in casibus multo aere distenti vehementer crepitabant.

Cor hic flaccidum, sinistrum hic musculosum est inventum; dextrum saepe sanguine repletum, sinistrum vacuum.

Fonticulus major nonnunquam valde patebat, neque suturae erant junctae.

Cerebrum interdum sanguine erat repletum, cerebrum cerebellumque et nervus vagus uno in casu ad pultis instar emollita. Nervus phrenicus rigebat medullaque spinalis omnis erat vitii expertus. Altero in casu vagus, phrenicus sympathicusque integri.

Duorum infantum, qui asthmate thymico cum catarrho conjuncto succubuerant, trachea ejusque rami rubebant.

Hepar nonnunquam erat auctum. Uno in casu nulla bilis agnoscebatur vestigia. Altero in casu magna erat copia bilis, quae colorem habebat prasinum.

Glandulae mesentericae nonnunquam erant magnae tumidaeque.

*Diagnosis.*

Asthma thymicum.

Asthmate thymico tentantur lactentes infantes; mares morbo sunt opportuniore.

Asthmate thymico corripiebantur infantes e somno experrecti, identidem interdiu etiam accessus urgent.

Asthma Millari.

Asthmate Millari infantes cum mares, tum feminae ab anno secundo usque ad annum sextum, rarissime vero lactentes corripuntur.

Infantes asthmate Millari correpti, dum paroxysmis tentantur, e somno terrentur, atque noctu dumtaxat instant paroxysmi.

Morbus sensim gli-  
scit, raro primum vehe-  
menter tentantur. Plu-  
rimis in casibus spiri-  
tus momentum tempo-  
ris tantum continetur.  
Qui vero etsi leviore  
morbo simul cum con-  
vulsionibus conjuncto  
afficiuntur, ii spiritum  
aegre ducunt.

Paroxysmus cla-  
more quodam peculia-  
ri terminatur neque  
animita amplius turbatur.

Morbus chronicus  
est raroque infantes sex  
hebdomades nati mor-  
bo succubuerunt.

Nervorum turbae  
fere secundo morbi sta-  
dio observantur.

Cadavera secta thy-  
mum dimidio amplio-  
rem repraesentant pul-  
monesque multo aere  
distentis.

Accessus subito ve-  
hementer eos urget.  
Spiritus aegre ducitur  
auramque captat in-  
fans. Spiritus momen-  
tum dumtaxat temporis  
praeccluditur

Paroxysmus, dum  
sensim respirare coepit  
infans, terminatur.

Morbus tam acutus  
est, ut infantes fere a  
tertio usque ad sextum  
morbi diem ei succu-  
buerint.

Statim primo sta-  
dio distenduntur ner-  
vi.

Cadavera infantum  
asthmate Millari con-  
sumptorum nulla vel  
exigua vitiorum signa  
produunt. Pulmones, qu-  
um circulationi officia-  
tur, saepe venoso san-  
guine abundant atque  
difficile vel difficilius  
quam ceteris in casibus  
inflari posse volunt.

Difficilius quidem est asthma thymicum a  
vitiis cordis distinguere, quum asthma velut  
morbus quidam organorum respirationis idiopa-  
theticus ob arcuora, quibus cum corde circula-  
tioneque haec teneantur, vincula, ob propinqua,  
quae peragant officia, in cor circulationemque  
agat, atque officia eorundum turbet et contra  
in respirationem morbi cordis eandem vim ex-  
serant necesse sit. (Kreysig) Quod si insuper id,  
quod Koppius de origine asthmatis thymici cen-  
suit, sequimur, qui asthma thymicum saltem par-  
tim e pressu thymi, quem majora vasa sentiunt,  
optum vult, nihil, si diligentius rem considera-  
veris, quod asthma thymicum a cordis morbis  
distingat, reperies, quum causae, quibus etiam  
cordis morbi oriuntur, adsint. Arteria pulmon-  
nalis venaque cava superior pressu thymi pa-  
tiantur, eadem etiam oportet prodeant symptomata,  
ac in cordis morbis, in quibus obstaculum quod-  
dam arteriarum pulmonalium, qui in cor san-  
guinem effundunt, ostio inhaerens circulationi  
officit, vel ac in iis cordis morbis, ubi fluxus  
sanguinis per venam cavam superiorem impedi-  
tus est. Quamquam non inficias eas multa symp-  
tomata cordis morbis peculiariter, velut pulsus  
intermittentem, anxietatem magnam livoremque  
faciei in infantibus asthma thymico correptis  
observari; haecce symptomata tamen hic ad lae-  
sam respirationem referenda esse videntur. An-  
xietas enim pectoris, respiratio turbata, suffo-  
catis ad organa respirationis maxime pertinent.  
Pulsus inordinati, angor livor faciei circula-  
tioneque turbata esse testantur. Symptoma, quod  
primum horum apparet, aut circulationis organa

ant respiratio primū pati significabit. Anxielas pectoris, respiratio turbata, suffocatio infantis asthmate thymico correptos primū urgent; pulsus inordinati, angor livorque faciei vultus apparent; quare malum primarium organorum respirationis jure est statuendum atque ita cordis morbi asthmaque thymicum facile distinguenda.

### *Aetiologia.*

Opportunitas ad huncce morbum nonnquam haereditaria esse videtur; id quod tres, quos Koppius observavit, casus Schneiderusque, testantur. Infantes dumtaxat ad annum aetatis secundum usque, atque saepius mares huic malo obnoxii esse videntur. In materni uteri morbis, qui infantum asthmate thymico postea correptorum partum praecesserint quique uterum omni contractilitate carere declarent, multum ponderis interesse Koppius vult. Ut vero Caspario placet, hōc morbo praesertim infantes rhachitide scrophulisque vexati tentari solent. Partus, quos matres phthisi affectae ediderunt, hoc malo maxime affici dicuntur. Morbo etiam tentantur, ait Marshius, infantes, qui habitu corporis aut scrophulis se laborare aut a parentibus scrophulis affectis natos esse testantur. Infantes, ut mihi videtur, huic morbo opportuniore sint necesse est, quorum thymus inde ab aetate foetus adhuc officia, quibus ille ante partum fungebatur, servaverit integra; id quod etiam majus thymi incrementum declarat.

Causae occasionales, quae insultus

asthmate thymici excitant, haec somnus, clamor continuus, haustus in tracheam aberratio, dentitio, diarrhoea, alvus obstructa, tympaniis, digestionem turbatam esse declarantibus. Munera organorum respirationis catarrho turbata insigne convulsiva, porro nervorum distentiones e terrore aliisque animi perturbationibus ortae ad spasmos excitandos multum conferre videntur. Tres etiam Marshius memorat casus, e quibus patet cubiculos recenter dealbatos insulhus excitasse.

### *Pathogenia.*

Causam proximam asthmate thymici in nimia thymi mole connata positam esse vult cell. Koppius dicens, asthma thymicum e pressu, quem majora vicina vasa corque ipsum inde sentiant, oriri. Quod si casus, quos observavit Pagenstecher, nos non convicissent, asthma thymicum, nullo thymi auctu antecedente, adesse posse, rationes tamen a Pagenstechero Casparioque, nobis allatae sat confirmare videri possent, neque nimiam magnitudinem thymi omnibus in casibus inveniri nec connatam esse, sed donec asthma oriatur, paulatim increcere thymum. Nam:

a) Asthmate thymico infantes IV. — V mensium vel majores adhuc corripuntur, neque organa respirationis eorundem inde a partu usque ad hoc tempus affici solent. Quod si thymus auctus, ut censet Koppius, qui malum hoc vitium formationis nominat, innatus inveniretur, symptomata morbi quoque, simulac partum ediderit mulier, apparerent.

6) Meckelius observavit thymum fore haud evanescere, sed in morbis pulmonum cordisque nativis, qui, quominus oxygenium auferatur, impediunt, incolorem manere, quin hic morbus adit. Thymam etiam, quum res ita sint, renasci contendit Meckelius.

Quaquidem re probabiliter confici potest, eundem etiam alla vitae aetate neque solum in foetu incrementum capere posse.

7) Morbi periodus atque faustus antispasmodicorum eventus, praesertim Zinci hydrocyanici contra malum organicum repugnare videntur.

8) Virginem annos XIV. natam thymo aucto affectam esse videbat Casparius, atque, cadavere secto, thymum pondus librae unius habere. Neque ulla asthmatis thymici symptomata aderant, nec phaenomena asthmatica; id quod sat docet thymi incrementum non solum morbum excitare, sed etiam, quod asthma thymicum provocet, ad thymum auctum accedere oportere.

9) Asthma thymicum epidemice grassari observabat Casparius. Quae quidem, res contra malum, quod statuerunt, organicum repugnat.

10) Asthma thymicum si ex onere thymi in majora vasa inclinatio ortum duceret, symptomata etiam e circulatione turbata derivanda velut anxietas magna, pulsus intermittens livorque corporis primum comparerent. Haec symptomata autem, ut experientia docet, postea urgent, cum contra, quae respirationem turbatam esse significanti, primaria sint. Pagenstecherus, qui incrementum thymi effectum magis quam cau-

sam morbi esse, vult, quique asthma thymicum asthma dentientium appellat, illud ad morbos, qui sub dentitione oriuntur, putat esse adnumerandum atque causam, cui illa sentiat, in similitudine, quam subtiliter excogitavit, inter morbos dentientium asthmaque thymicum intercedente positam iudicat. E somno, qui praecesserat, expiratione vehementi, haustus aberratione, itaque ex impetu sanguinis in cerebrum nervumque vagum atque e nervorum per iram, horrorem aliasque animi perturbationes irritatione spasmos, quibus tentantur infantes, deducendos esse censet. Quamquam non inficias eas sententiam, quam enuntiavit Pagenstecherus, multia forsitan aridere posse, tamen rationes, quae statim subjiciam, eandem refellere videntur. Marshius enim animadvertit asthma thymicum, cum dentes primi jam prorupissent, oriri neque nullis morbi symptomatibus dentientes infestatos fuisse. Deinde asthma thymicum saepe prima vitae aetate, qua nullas dentium anomalias infantes vexare putares, occurrere solet. Casparius, qui asthma thymicum asthma periodicam acutum appellat, quique locum illi inter anginam membranaceam asthmaque Millari designat, illud ex inflammatione quadam bronchiorum proficisci spasmosque, quibus contrahuntur bronchia tracheaque, ab illa excitari atque a nervis bronchiorum periphericis postea malum in medullam veri indeque spasmos extremitates infestantes erigi putat. Haec sententia, credo, minus ponderis seo habebit, quod inflammatio bronchiorum, si qua esset, signis bronchitidis propriis, febre nimirum respirationeque accelerata stre-

pante, laboriosa, quae fere absum, agnoscitur. Quenam harum, quae de causa morbi proxima praesumantur, sententiarum propius ad veritatem accesserit, l. b. iudicabit. Thymum vero auctum, quem fere secta repraesentant cadavera, Pagenstecherum, Casparium Marshiumque pariter ponderasse equidem pato, atque thymum auctum velut morbi causam semel defendere conabor.

Quamquam cum Pagenstechero Casparioque persuasum mihi habeam abstinere, quo thymus auctus in vasa circulationis agat, asthma thymicum nequaquam excitari, credo tamen vim thymicam, quae in malum provocandum insuat, aliter excitari posse. Quod si, omnibus, quibus fragitur thymus, officii perspectis, persuasum nobis habuerimus in foetu respirationem nutritionemque, quae utraque munita in foetu silent, thymum compensari; iure etiam contendere licebit, haecce manera, si pulmones tractusque intestinorum, quos inter atque thymum mirus ille intercedit antagonismus, integri non fuerint, in aetatem infantilem quoque facile transitura esse. Quibus muneribus, inquam, tum eo facilius vacabit thymus, quo magis ille natura evolutus fuerit atque in tenera aetate accrescere pergat, vel quo major vis vitalis ad magnitudinem ejus est.

Si autem eo evolutionis pervenerit thymus, ut vices pulmonum tractusque intestinorum ex parte vel saltem vim vitalem horum organorum in se trahere possit.

Si porro abdominis respirationisque mala quae quominus horum organorum munera vigeant, impediunt, simul urgent, facile intelligi potest munita pulmonum tractusque intestinorum silentio oportere, atque inde animam subito praeccludi atque, teste Northio, semper adstringi. Ex animae illa interclusionione autem cetera symptomata velut suffocatio, livor faciei, anxietas magna, pulsus inordinati asphyxiaeque sunt derivanda.

Duo status, quamvis fere haud puri, distingerentur sunt distinguendissimi, id quod e duplici modo, quo cum pulmonibus tractusque intestinorum thymus conjunctus est, facile intelligi potest. Ubi malum cum laesione tractus intestinorum officii cohaeret, ut fere in infantibus scrophulis rachitideque laborantibus fieri solet, et sub dentitione, quam affectio tractus intestinorum velut pedisequa comitatur, vel post lac malum sumtum vel post diarrhoeas tympanitidemque, quae praecesserint, ibi organa respirationis, (ut et casus a Northio Marshioque observati docent) minus patiuntur et contra spasmi ex nervos, quibus abundat tractus intestinorum quibusque cum aliis organis copulatus est, urgent. Si autem incommodo organorum respirationis, quorum negotia ira, terrore, clamore continuo, devoracione aliisque interrupta cessant, ortum fuerit malum, organa respirationis dumtaxat pati suffocationeque tentari reperies. Autamen etiam ad hoc malum affectiones tractus intestinorum accedere solent, neque in ea specie, quae cum turbis gastricis conjuncta est, affectiones respira-

scitis ab aëre. Quodsi sententiam de origine  
asthmatis thymici alligam cum ratione enrandi  
comparaveris, facile apparebit aërem purum  
praesentis tunicam, diaesam, lac bonum neque  
ullam aliam corpus alendi rationem, (nam haec  
asthma thymicum nonnunquam excitasse vide-  
tar) atque lenia roborantiaque remedia ad mor-  
bum funditus tollendum vel aptissima esse.  
Hac de re vide eis historias morbi a Rullman-  
no, Pagenstechero, Marshio Northioque narratas.  
Nunc quis rogarit causam cur non plurimi in-  
fantes morbo corripiantur, quam profecto multa,  
quae morbum excitent, mala urgere videantur.  
Proclivitatem agitur ad morbum status necesse  
est; quae proclivitas, inquam, in incremento thymi,  
qui etiam in aetate infantili accrescit, conno-  
pato esse videtur.

*Prognosis.*

Quum tamen rarus apparuerit morbus, pauca  
tantum de exitu ejusdem praesagiendo afferre  
libet. Qui vero ad rhachitidem scrophulasque  
cum impetigine conjunctas proclives sunt, eorum  
vix minus in discrimen vocatur, quam quorum  
corpus scrophulis, a Caspario floridis dicitur sit  
obnoxium. Species spastica peior, quam illa,  
quae catarrhalis est. Generatim mihi illa sim-  
plex, quam Koppius descripsit, species vel pes-  
sima vix est. In morbo, quem variis formis  
indurum vidit Marshius, curando faventem est  
fortunatam expertus. Ubi convulsiones per totum  
corpus diffusae praevalet, neque tamen interrup-

ta est respiratio, nec anima deficit illaque urget  
suffocatio; quod caens a Northio observari do-  
cent, faustissima quaeque sperare licet, quum ne-  
unum quidem infantium, quos curavit, morbo  
interitum esse dicat. Periculum, nisi spatio oc-  
to hebdomadam evictus fuerit morbus, indicat  
ingravescere putat Casparius.

*Curatio.*

Primum vel gravissimum medici officium  
est, ut Pagenstechero videatur, vitales temperare  
functiones. Quare propria communiisque  
sibi aegrotique, ut id recte fiat, intueri oportet.  
Ubi cibi difficile concoquuntur corpusque  
male alitur, ibi apta vivendi ratione aptisque re-  
mediis malo est succurrendum. Ubi diarrhoea  
urget, tinctura rhei aquosa cum paribus aquae  
cinnamomi partibus laudantur; deinde absor-  
bentia velut creta; Arrow-Root, potus e glandi-  
bus castis paratus rubiaque tinctorum et deni-  
que china. Scrophularum symptomatibus, si  
quae sint, notis remediis est subveniendum.  
Zincum hydrocyanicum, quod non solum ad  
symptomata quaedam, sed etiam ad morbum res-  
dicitus tollendum multum potest, cujusque di-  
midium vel unum ter quaterve die granum est  
sumendum, velut specificum quoddam commen-  
dat Pagenstecherus, neque remedium ultra IV—VI  
dies adhibet. Forma, quae spastica est, paene  
immedicabilis Caspario videtur. E ratione, qua  
hancce formam curavit, nil utile enucleare licet.  
In forma vero, quae catarrhalis est, primum me-  
thodus, quae dicitur antiphlogistica, hirudines; ca-

lomel, ut ei placet, in usum sunt vocanda; postea, vesicatorium super pectus imponendum, atque caput, parsque aurium postica unguento e tartaro emetico iungendum. Quodsi paroxysmi paulatim remiserant, ad modicas calomel, tart aurat. doses decurrebat. Epilepticos vero insultus saepe moscho avertibat. Post talem insultum autem hircudines super caput dorsumve impositos in usum vocabat asamque foendam cum moscho conjungebat. Ad morbum curandum aerem purum, melioris notae alimenta tonicaque remedia multum posse putat Marshius. Aliquot in casibus, in quibus praesertim tincturam fuliginis laudat, et antispasmodica auxilium tulisse vult. Secundum Northium morbus ita est curandus: gingiva, si tumida est inflammataque, incienda. Ad alvum vero solvendam validiora purgantia, quorum calomel cum pulv. jalappae forsitan ceteris praeferenda, porrigantur necesse est. Ubi spasmi urgent, demittendus est ipsans in balneum tepidum aptaque vivendi ratio, si mammas non amplius praebet, mulier, praecipienda. Vires coctionis imbecilles esse in promptu est. ideoque cibos validos ventriculo infantis ingerere aequo perniciosum.

## Emendanda.

- Pag. 9 lin. III. pro continue — continent  
18 — XXIII. pone inter verba: cadavere secto —  
altero  
21 — VII. pro eorumdum — eorundem  
— — XX. omnino elidas verba: qui in cor sanguinem effundunt.  
25 — X. pro nervoum — nervorum
-